

Franciscus Neumayr
‘Eutropius infelix Politicus’

Tragoedia
(1732)



Jan-Wilhelm Beck
Institut für Klassische Philologie
Lehrstuhl Lateinische Philologie
Universität Regensburg
Universitätsstraße 31
93040 Regensburg
Januar 2008

Argumentum

Annus agebatur post Christum natum nonagesimus nonus supra trecentos, cum imperantibus Arcadio ac Honorio ad supremam Consulis dignitatem euectus est Eutropius Eunuchus, homo multae astutiae, nullius Religionis et omnium scelerum. ussit acerbe haec Eutropii felicitas geminos Duces Gainam et Tribigildum, illum Europaeis, hunc Asiaticis copiis Praefectum. coniurant, vel sub ruina Rei publicae se novum Consulem oppressuros. itaque vastare Asiam incipit Tribigildus, mittitur contra rebellem Gainas. sed qui domiturus furorem credebatur, adiuvit occulteque colludens rem eo deduxit, ut iam Europae etiam Tribigildus formidabilis fieret. Gainas ad Caesarem redit; negat, parem se Barbaro esse. suadet, faciendam pacem; pacis conditionem unam esse aequam et facilem, ut petenti Tribigildo tradatur Eutropius malorum omnium auctor. post multam luctam admisit demum conditionem Arcadius. eripiuntur infelici Consuli fascēs, franguntur statuāe, nomen ex fastis eraditur; ipse in Cyprum insulam exul eiicitur. ita Zosimus et Sozomenus cum Claudiano ethnico Poëta coaevo, qui duos adversus Eutropium libros scripsit egregio versu et ab omni posteritate legendo.

Vt facilius intelligamur, ex iisdem Auctoribus notamus sequentia.

1. Eutropium ab aliis Ethnicum, ab aliis Christianum dici; probabilius neutrum fuisse vel utrumque.
2. Eodem tempore floruisse S. Ioannem Chrysostomum Constantinopolitanum Patriarcham, cuius facundia placatus Eutropio populus, ei vitae gratiam a Caesare impetravit.
3. Eutropium legem extorsisse ab Arcadio, qua templis ademptum est ius asyli; iusto Dei iudicio deinde ipsummet, cum a populo peteretur ad necem, ad Ecclesiam esse coactum confugere, unde illum extrahi non antea permisit Chrysostomus, quam Caesar vitae gratiam cum iuramento promisit.
4. Eum nihilominus a Gaina per fraudem fuisse occisum, et quidem secundum aliquos, priusquam in insulam, in quam amandabatur, advenit.
5. Eutropium uti alia, ita Ducis exercitus officium tribuisse cuidam Leoni, homini inepto et hoc uno nomine utili, quod esset Eutropii cliens.

Personae

Eutropius	Consul
S. Ioannes Chrysostomus	Patriarcha
Arcadius	Imperator
Saturninus	Consularis
Lorinus	Eutropii familiaris
Leo	Dux copiarum, ab Eutropio promotus
Gainas	Dux copiarum, Eutropii inimicus
Oranges	filius Tribigildi
Misenus	Gainae familiaris
Aurelianus	Praefectus Praetorii
Nonus	Arcadio a Secretis

<Chorus laborantium>

<Claudianus>

<Apollo>

<Chorus Musarum et Poëtarum>

<Aeternitas>

<Chorus Saeculorum>

Prologus

Tragoediae series exhibetur in parabola

Eutropius in persona Architecti, Chrysostomus sub schemate amici,
Chorus laborantium in aedificio absolvendo

Theatrum exhibet hortum et in fine aedificium iam perductum ad tectum, sed stans in arena.

Arch. Quid stupes, amice?

Amic. Me mihi eripuit aspectus huius fabricae.

Arch. Recreas me.

Vos laborate strenue!

Decretum est, vel ringentibus aemulis hodie

Vltimam operi manum imponere.

Arietta

Rumpere invidia,
Cum haec domui ponendae
Applicatur regula!

Regulam tenet Architectus cum inscriptione: Artes Politicae.

Nunquam illi subruendae
Villa valet machina.
Rumpere invidia!

Repetit Chorus.

Amic. Amice, omnia exploravi.

Errorem docere num licet, quem notavi?

Arch. Falleris. ego nihil erravi.

Amic. Ignosce. ringentibus aemulis magnificum aedificium

Perduxisti ad fastigium,

Sed moles totius fabricae

Arenae insistit lubricae.

Timeo, ne se ipsa concidat

Et, quanquam nullis succussa machinis,

Architectum opprimat.

Infaustum est incrementum,

Quod non habet fundamentum.

Aria

Spes nixa in arena
Periculi est plena:

Non potest molle sabulum
 Ventorum contra impetum
 Hanc molem sustentare.
 Quod omnem frangit ventum,
 Est firmum fundamentum.
 Quid prodest caput aureum,
 Si vile lutum poplitum
 Inceperit labare?

Arch. Mitte curas inanes.
 Hoc ipsum est singulare artificium,
 Paucissimis cognitum,
 Aedificare in aëre
 Nec fundamentum ponere.
 Imperitis hoc videtur difficile,
 Sed nos nostrae non fallunt regulae.

Aria

Fremant fluctus, turbulenti
 Vndeque furent venti,
 Longos soles
 Cernet moles,
 Quae his fulcris incubat.

Columnarum inscriptio: Regis favor, plebis pavor.

Quem hinc portat *Regis favor*,
 Inde fulcit *plebis pavor*.
 Est securus,
 Stabit murus,
 Quantum inaedificat.

Ascendit, viridem ramum infixurus tecto.

Supra montes se levabit,
 Supra nubes ambulabit,
 Calcans stellas
 Nec procellas
 Habens, quas iam metuat.

Ruit domus: ex horto fit desertum.

Amic. Ah! siste gradum, infelix!
 In tuum ascendis exitium!
 Non sentis, ut tremescat totum aedificium? ...
 Eheu! iam corrui! ... o miserum Eutropium!
 Tu hic siste, Viator, et lege Epitaphium.

Epitaphium:

Hic iacet Eutropius,
Infelix Politicus,
Quia
Malus Christianus.

Aria

Non est consilium,
Non est prudentia,
Quae contra Dominum
Sit satis provida.
Quot per contemptum legum
Invito Rege Regum
Attollunt se ad Superos,
Tot orbis habet Icaros:
Quo volant altius,
Hoc ruent certius.

Actus primus

Scena prima

Chrysostomus, Aurelianus, Saturninus

Aperitur aula.

- Chrys. Quae vota facimus, Domini? qua prece placamus Deum? minax impendet gladius et poenas fulgurans in sacrum Caput. iniurias templo factas non solet Deus impune ferre. audaciam Eutropius lu-
et, pertinaciam Caesar, qui, cum ius asyli Ecclesiis abstulit, pecca-
vit ignorans quidem. at cum monitus a me toties, toties a vobis ro-
gatus, abrogare renuit obstinatus sacrilegam legem, iam excusari
non potest. uterque reus est graviter laesi Numinis. me prope poe-
nitet, tam diu egisse leniter. mutabo stylum et tandem Episcopus
ero.
- Aurel. Tuo grandi periculo eris. Consulem time. imperat ipse Caesari, et
imperium ab Episcopo feret?
- Saturn. Ridetur potestas sacra, quam profana non armat. poenae, quas in-
tentatis, non cadunt sub oculos: bruta creduntur fulmina.
- Chrys. Ab hominibus brutis, hoc scio. quanquam si utrumque a Sacra-
mentis prohibeam, si templum claudam, si a sacrificio arceam, an
non est haec poena, quae sub oculos cadit?
- Aurel. Hoc ausis, Praesul?
- Chrys. Hoc iubet Deus agere in peccatorem publicum et obstinatum. non
licet Episcopo Sanctum dare canibus aut margaritas proicere ante
porcos.
- Saturn. Scimus, quam feliciter hac fortitudine Ambrosius correxerit Arca-
dii Patrem. sed nullus hodie Theodosius vivit.
- Aurel. Nullus imperat certe. Caesar, ut bonus, ut pius sit, sui iuris non est.
in devia a Consule rapitur, etiam nolens. Consulem si offendis, ti-
meo ...
- Chrys. Quid?
- Aurel. Quidquid timeri potest ab homine impio, furente et armato. quid
agas, delibera, Pater! rogo.
- Chrys. Scilicet si non ago officium, impius; si ago, Martyr ero. num iam
deliberandum est mihi? estote fortes, Domini, et, quod in Senatu
contra Consulem egistis huc usque strenue, porro agite. causam
Dei agitis: et vincere et occumbere gloriosum est.
- Saturn. Actum nos agimus, quando unus est, qui agit omnia et omnes agit.
praeter nos duos nemo est in Senatu, qui non sit cliens Eutropii et
nutum vel adoret vel tremat. itaque cum est dicenda sententia, quid

dicant, in oculis et fronte Consulis legunt. haec regula iuris est, ad quam fiunt suffragia; nos obruimur numero.

Chrys. Saturnine! cadaveris est a torrente deorsum rapi; homo vivus sursum vel contra flumen luctatur.

Aurel. Multo conatu, nullo fructu. oppressa multitudine quid virtus potest?

Chrys. Timetur. aut, facite, unanimi calculo probari scelus: Superi! quam stragem faciet! ... opponat obicem vel unius viri robusta virtus, saltem modestius exundabit. mihi credite: etiam audacissimis venerabilis est vir non timide probus, in aula maxime. vel non peccatur vel denique reverenter peccatur, cum metuitur Censor, qui aequus et sapiens creditur.

Saturn. Atqui qui metuitur, non amatur. aut arridere peccantibus cogitur aut perire. exempla scimus.

Chrys. Optanda sors, sic perire. praelio pii cum impiis certant; qui cedit, vincitur, non qui cadit. circumspicite orbem terrarum: regnat impietas, fateor, et omnes provincias occupavit; non tamen pacifice regnat: pauculi pii faciunt, ut habeat semper, unde metuat sibi. quod in orbe pauci, hoc in aula duo praestatis, ut nemini liceat esse scelerato, sine pudore. quid? hoc est vobis actum agere? quanquam quid istud memoro? maiora speremus. alieno peccato Caesar peccat, non suo, iuventutis vitio, non naturae. neque stupidus Princeps est, qui nesciat inter amicos discernere. apertus animus et heroice liber, si diutius constabit sibi ad omnem tumultum impavidus, primum in admirationem rapiet, ut aestimet; deinde amorem accendet, ut optet familiarius nosse; denique fiduciam pariet, ut exquirat consilia, quae modo contemnit. haec spes vos recreet.

Aurel. Haec spes est modica. ego - sim falsus utinam! - ultimam imperio perniciem auguror. ad clavum Eunuchus sedet. Tribigildus Asiam praedatur rebellis; Gainas incendiis, quae prohibere debuerat, deses spectator assidet, suspectae fidei miles et forte cum Tribigildo colludens, ut sectam Arianam tueatur, cui templum in urbe nuper quam ferociter expetierit, memineris, Pater.

Chrys. Memini. sed med quidem vivo non habet, quod speret. haec tamen, cum ita sint, cum sunt, qui se opponant: quid erit, cum opponet se nemo? viri magni, vestrum est, pugnare et mori. virtuti spiritum ducitis, virtuti vivitis, non aulae, non Consuli, non etiam Caesari, nisi ex virtutis praescripto. solus beatus est, solus erit, quem virtus docuit nihil cupere, nihil timere.

Scena secunda

Chrysostomus, Nonus, Prioeres

Nonus prodit.

Nonus Laeta fero, Domini! urbs omnis plaudit. caesum ad interneccionem Tribigildum canunt; Gainas cum paucis adest victoriae idem auctor et nuntius, captivum perduellis Tyranni filium secum trahens.

Chrys. Ipsum vidisti?

Nonus Narravit, qui vidit. ad Caesarem propero.

Aurel. Nova, Praesul, pugna nobis et tibi instat.

Saturn. Grata est victoria, ingratus auctor. nam ut proterve se efferet Ariana vipera! ut virus vomet!

Chrys. Templum videlicet Ario suo velut victoriae proemium urgebit ferocius, hoc timetis?

Aurel. Et Caesar non audebit negare.

Chrys. Occupabo. adest.

Prodit Caesar.

Scena tertia

Chrysostomus, Arcadius

Arcad. Vbi est victor! o laetam diem! ite amici obviam et huc adducite. tu, Pater, laudes Deo cantari iube et populum in templum voca. succedam ipse cum aula.

Chrys. Ignosce, Caesar: apertae stant populo portae. tu si veneris, reperies clausas, nisi revoces iniquam legem.

Arcad. Audacter. nam cui loqueris?

Chrys. Homini, qui subditus Deo est.

Arcad. Me miserum Principem! cui ab uno Sacerdote quies esse non potest. dixi: abrogari non potest lex, mea Maiestas patitur.

Chrys. Eutropii haec lingua est. Auguste, Maiestas patitur, si fateris, te hominem esse? errare, Caesar, humanum est: fragilitatis et ignorantiae est, a qua neminem Regum excipias; errorem corrigere virtutis est, sapientiae est, gloriosum est. unde ergo Maiestas patitur, si abrogas legem, quam contra fas et aequum tulisti? sentiant boni et gaudeant, mutari te posse; mali reperiant contumacem: hoc laudabo. det Caesar Deo, quae Dei sunt: dabit Deus Caesari, quae Caesa-

ris sunt, Maiestatem, gloriam, felicitatem. noli, quaeso, Domine, te ipsum decipere, ut Maiestatem in pervicacia tuendi erroris ponas. contemptui te exponit, qui istud suadet. credemus, errorem vel non agnosci, quod caeci est, vel errantem nolle corrigi, quod obstinati est.

Arcad. Importune nunc ista oggeris; alias cogitabimus.

Chrys. Imo nunc maxime cogitanda sunt. opportune importune fungi officio Episcopus debet, et nunc necessitas praesens urget. victor Gainas subit: quid? si repetat suas de templo Ariano preces, non concedes?

Arcad. Praecoces curae!

Chrys. Providae. video te iis, quos vereris, cito promittere, quae exposcunt; et quae promisisti, revocare deinceps nolle. num imprudenter timeo mihi?

Arcad. Multa, mi Pater, ratio status exigit.

Chrys. Nihil exigere potest, quod prohibet Deus. Auguste, nimium tuis Ministris tribuis. liceat, quid sentiant subditi, referre libere; nam ut scias, interest tua nunc maxime.

Arcad. Loquere, quid dicunt?

Chrys. Non regere, sed regi diceris et tuorum consilia audire pro imperiis. aequa, iniqua sint, non audes repugnare. en! ita Maiestas perit, et haec est causa, quod maior tuis veneratio quam tibi sit; illi Dii sunt, tu Idolum.

Arcad. Quis haec de me?

Chrys. Veritas loquitur.

Arcad. Sed intrat victor.

Scena quarta

Chrysostomus, Arcadius, Gainas, Oranges, <Nonus>
Aurelianus, Saturninus, Misenus

Gain. Errasti, Caesar; nam victi sumus.

Arcad. Quid audio?

Gain. Asiam Tribigildus tenet, Europae imminet.

Chrys. O sanctam Dei manum!

Arcad. Et tu tamen proditoris filium captivum tenes?

Gain. Obsidem offero.

Oran. Auguste, sine, ut me et Patrem ad tuos advolvam pedes. non sumus rebelles tibi; testem insontis animi filium tradit. Tyrannum parens Eutropium odit. ab isto iugo, ut liberes se, ut populos tuos liberes, cupit, orat.

Arcad. Bella fabula!

Gain. Ita tamen se habet res. Eutropium trade, Caesar: reddet Asiam Tribigildus, ponet arma, erit pax.

Arcad. Legem pacis a subdito feram? quid egisti, ignave!

Gain. Convitiis parce, Caesar! vel in Eutropium verte. ille, quod patimur, origo mali est. Leoni partem exercitus commisit vecors, homini nullius animi, nullius scientiae, hoc uno nobili, quod Eutropio a servitiis fuerit. Leo ille, improvide a me divisus, in Tribigildum incidit. committitur praelium: caeditur interneccione infelix; ipse cum pauculis fuga elapsus, vagus per Asiam, latet, nisi forte viam in urbem relegat, cum audivit aliquid mussitari de pace.

Arcad. Et cur tu non ultus es cladem?

Gain. Nempe tanto iam viribus fractior, Europam praeterea in discrimen adducere? praecipue cum haud sane superbus hostis et tanta victoria clarus non praelium, sed pacem cogitaret missoque filio peteret, prope suppliciter prior. itaque sine mora exercitum fratri tradidi; me dedi in viam, ut efficacius suaderem praesens, ne dubitares, unius capitis impendio te a tam formidabili hoste redimere.

Arcad. Impendio capitis innocentis et chari ignobilem pacem emam? iuvate consilio, Proceres! vulgata iam est urbi cladis fama?

Nonus Imo de victoria sparsus rumor cives ad gaudia, iuventutem omnem ad tripudia et saltus excivit.

Arcad. Gaudeant breve gaudium, ut ferocius post paulum in arma coeant. Misene, tu Orangem conserva. vides, Praesul, quod iam tibi respondere non possim: urgent maiora. adeste.

Chrys. Hoc habeo, bona verba. Domini, vos rem urgete et Dei negotium.

Aurel. Cum opportunitas fuerit.

Saturn. Et erit, opinor, felix. video collidi impios: inimici sunt Gainas et Eutropius, vota dividuntur.

Chrys. Felix discordia, quae vires frangit impietati! in templum eo, ut exorem sapientiam vobis, fortitudinem Caesari.

Scena quinta

Misenus, Oranges, Eutropius, Lorinus

Misen. Intellexi. audisti, Oranges, quid isti velint?

Oran. Aperte satis. nam nihil dissimulantes locuti sunt.

Misen. Discordia Gainae cum Eutropio audaces facit. vae nostro Ario!

Oran. Atqui non quieturum se prius promisit Gainas Patri, donec templum asseclis Aarii obtinuerit.

Misen. Favente Eutropio facile obtineret; inimicum cum habet, non est spes ulla.

Oran. Erit amicus, cum fuerit Consul traditus in manus Patris.

Misen. Amo parentem tuum et Gainam amo. sed vel ideo Eutropii amicos quam hostes mallet. crede mihi, nihil apud Caesarem valebitis contra Consulem.

Oran. Quod nos non valebimus, valebit victor exercitus, qui caeteros pariter opprimet, qui se nobis opponet. Saturninus et Aurelianus cum Eutropio cadent: ita Gainas iubet.

Misen. Omnia facilius credam quam casum Eutropii. annosa quercus profundas radices habet, non sternitur facile.

Oran. At caedi potest ictibus repetitis.

Misen. Nunquid Patriarcham etiam designastis ad caedem?

Oran. Non, Misene. populo, aiunt, esse in pretio nimis nec adeo patere telis, quae non redeant in iacentem. sed si erepti fuerint Aurelianus et Saturninus, quis est in aula super, quem habeat faventem sibi? enervis erit; cogetur agere, quod nostri volent ex mente Arii. quodsi adhuc latrare poterit, tamen non poterit mordere.

Misen. Nae tibi, o bone, parum notus Chrysostomus est. gladios vestros provocabit in nudum pectus. si stringitis, populus accurret vel defensor vel vindex. si non stringitis, nemo Arianus intrabit templum. at Eutropius cum sit inimicus Episcopi libere carpentis vitia etiam Optimatum, si cum Gaina et Patre tuo pacem habeat, actum de Chrysostomo est. aulam implent clientes Consulis, populum continebit exercitus, Arius triumphabit.

Oran. At nobis de Ario secunda est cura; prima de Eutropio, ut illo strato Caesar in potestate sit et imperet cum Gaina Tribigildus.

Misen. Candidus es.

Oran. Puto me loqui Gainae amico.

Misen. Optimo et propterea anxio. sed ecce, Consul.

Eutr. Hic est? quid video? Oranges, captivus an victor ades? utrumque varius rumor garrit.

Oran. Vtrumque vere. nam et victor sum et obses pacis tibi metuendae.

Eutr. Te metuam, pupe?

Oran. Patrem victorem, me obsidem.

Abeunt.

Eutr. Vah! quid agitur?

Misen. Domine, Senatus in te coactus est. provide tibi.

Eutr. Lorine, require cito, qui meum nuntiet adventum Caesari.

Lor. Eo.

Eutr. Senatus coactus est, ignaro Consule? quid audet Caesar? res nova mihi, ut possit malum minari puer! intelligam.

Saltus.

Actus secundus

Scena prima

Misenus, Oranges, Gainas

- Gain. Prospere vehimur, mi Oranges. Augustus nutare incipit, labare fortuna Consulis.
- Oran. Hoc ego homini paulo ante cecini ferale carmen. palluit repente, ut si audisset bubonem. ubi est?
- Gain. Intus cum Caesare.
- Misen. Admissus est statim?
- Gain. Postquam dimissi nos. pupugit haec mora hominem et frontem in rugas traxit. multum erit, nisi exprobret Caesari.
- Oran. Vtinam illum tumor et ira in verba praecipitent acerba magis, quam deceat loqui subditum! ego interim nostram causam apud Augustam egi, quae si non iuvabit, nec impediet saltem; ita multum visa est mihi pertaesa hominem et fastum exosa.
- Gain. Feliciter.
- Misen. Sed Saturninus et Aurelianus ut favent?
- Gain. Nec mihi nec Consuli. hoc sufficit. rem magnam perficiam hodie, quam stupeat orbis et laudet magnopere.
- Misen. Magnus animus! Deum te credam, si erit eventus par.
- Gain. Spondes secreti fidem, amice?
- Misen. Cor unum sumus.
- Gain. Et tuam operam?
- Misen. Omnem. hoc cura modo, ut agas caute et cito, ne foveam tibi fodiarias. multos Consul amicos habet, multos clientes.
- Gain. Hirundines vis dicere, quae domum, quam colunt in vere, deserunt, cum ingruit hyems. non metuo adversarios, qui multum garriunt et parum audent. dentes frangere hic capulus potest. advertite iam.

Scena secunda

Priores, accedunt Eutropius et Lorinus

- Eutr. Hic reperio ignavum Ducem, proditorem Consulis sui! ... hoc agitur! pacem offert Tribigildus, hac conditione, ut sibi tradatur Eutropius. quid respondet Gainas imperatorii exercitus Dux? num stu-

pet insolentiam barbari? num indignatur? num arma clamat? num exprobrat saltem? imo acceptat hilariter, relinquit exercitum, tantae felicitatis ipse nuntius esse properat, advolat in urbem, ad Caesarem intrat et, 'vive', inquit, 'Auguste, ac gaude! pacem cum Tribigildo habemus. ut beati simus, una conditio scribitur: hosti tradatur Eutropius!' perfide! non intelligis, quod, qui tradit Eutropium, Caesarem tradat? mihi, si nescis, se debet Augustus: ego ex perduellium manibus periclitantem eripui, ego Stiliconem pro Arcadio armavi et poenas de proditore Rufino expetii. quanquam quid ista memoro? surrexit Rufinus ex tumulo et migravit in te. bella pacificatio! tradantur canes, dicebant lupi, et pacem cum ovibus facimus. patere tua consilia non sentis? cum Tribigildo colludis. Eutropium petitis, ut rebellium gladiis nudus praesidio Arcadius prostet. dabo tamen aliquid libidini tuae: ibo ad Tribigildum; imo in Tribigildum ibo, exercitus a te proditi Ductor. quid te decuerit agere, a tuo Consule disces. me aut triumphus aut mors honesta, te lictor expectat. arma, Lorine, arma!

Lor. Praeentem, quo trahis, sequar.

Abeunt.

Scena tertia

Misenus, Oranges, Gainas

Gain. Misene, Oranges, potuit Gainas miles hoc os impurum, hanc vocem foemineam tacitus ferre?

Oran. Obstupui patientiam.

Gain. Vt se iactavit probrum! ut tumuit! Eutropio se debet Arcadius, Eutropius Rufinum occidit; pacem orbi, coronam Augusto firmavit. quid stringimus gladium? quid sanguinem fundimus? miser es, Gaina! immensas Rufini opes Eunuchus rapuit tibi; nunc etiam gloriam rapit. labores ego subivi, tuli vulnera, bellum peregi: quo operae pretio? fungus sum. lacerum sagum deridet Eutropius, dum triumphat in toga.

Misen. Num sapis, Gaina, qui in absentem convitia iacis, praesenti nec ausus mutire?

Gain. Recte exprobras. sed me attonuit audacia hominis contumeliam tam acerbam loquentis supremo militiae Duci.

Misen. Consul est.

Gain. Nempe hoc vocabulum mihi guttur constrinxit, ne verbum prorumperet meis consiliis noxium. quid inani altercatione me perderem?

stulta est ira, quae non furit in tempore; nec sera vindicta, quae commoda.

Oran. Ego hoc laetor, quod arma spiret Eunuchus et chlamydem expetat. impletur votum: sive ad Patrem eat sive in Patrem, peribit utrinque.

Misen. Nec tu sapis, Oranges: furor amborum excaecat animum, ut non attendatis periculo vestro. non audisti truculenti Consulis diras minas: te lictor expectat?

Gain. Hoc insuper ausurum putas, ut ad virgas et flagra Gainam trahat?

Misen. Scis, quid Timasio, quid Bargo, quid Abundantio, quantis viris sit factum?

Oran. Hoc Arcadius sinat?

Misen. Eutropius est Imperator. reum proditi Caesaris te faciet, Gaina. obsecro, proditoris supplicium time.

Gain. Inferi! quid ago? occurrit modus persequendi coepta, Oranges; celeriter ex aula te proripe et, quid agatur, admone Patrem. hortare, ut, sine mora relicta Asia, Europam populetur ac late undique armorum terrorem circumferat.

Oran. Haec vestis fugitivum obsidem prodet.

Gain. Aliam indue. cives, quibus hodie primum es visus, facile falles. hoc age celeriter, ut evadas ex aula.

Oran. Misene, probas consilium, quod mihi videtur desperatio suggestisse? paulo ante securus, optima spe me implebas, Gaina. minae Consulis verba sunt: haec me debent in fugam agere?

Misen. Verba sunt, sed ominosa. saeva hominis astutia, Princeps, non satis est nota tibi.

Gain. Video, dicenda mihi causa erit; qua si cado, ambo periimus.

Misen. In tua obedientia sita est amborum salus.

Gain. Et felix successus negotii. nam audi porro. dum ego ad dicendam causam me comparo, tu, Misene, per obscuros homines rumore in urbe sparge, Tribigildum in Europam transiisse et ipsi Constantino- poli minari exitium, nisi tradatur Eutropius. quid futurum sit, vides?

Misen. Nempe ex magno gaudio in magnum moerorem abrepta civitas in turbas ibit.

Gain. Militare praesidium ab avaro homine tot fraudatum stipendiis facile mihi devinciam.

Oran. Communi clamore ad necem poscetur Eutropius. intelligo. quid vero, si sparsus rumor non inveniatur fidem?

Gain. Nihil dubita. probabilem fabulam tuus abitus faciet. facile credit vulgus, quod timet.

Misen. Nec lenta remedia patitur. impetu fertur in obvium.

Gain. Impetu vindicabunt iniurias, quas tamdiu taciti ferunt a Consule, inter suspiria opportuna occasionis.

Oran. Belle compositum consilium est. obsequamur, Misene.

Misen. Libenter, quia sic demum consulitur securitati.

- Gain. Divisus est labor: tu Patrem concitabis, Misenus cives, ego milites. dividamur.
- Oran., Misen. Pereat Consul!
- Gain. Superi! Leonem video?

Scena quarta

Gainas, Aurelianus, Leo

- Aurel. Attonuit aspectus hominem.
- Leo Ita est. proditum a te Leonem vides, perfide! redde mihi honorem Ducis! Caesari legiones redde! sic servis?
- Gain. Compesce hunc canem, Domine, aut iugulum reseco. haec vappa opprobrium mihi? proditor tibi sim, ut tu ignavus ne fias?
- Leo Ignavus tibi sim, ut tu proditor ne fias?
- Aurel. Nihil contumeliis agitur: iure certandum est. uter sit reus male acti officii an neuter, Iudices pronuntiabunt. Leonem discessisse a Gaina nec providentius evitasse discrimen, excusari vix potest. Gainam deseruisse exercitum, cum hostis cervicibus imminet; et pacem urgere conditione tam audaci, non minus miratur aula. itaque utrumque captivum esse Caesar iubet. geminatae ad portas excubiae stant imperio meo. se ipsum damnat, qui tentaverit exitum.
- Gain. Vereor Augusti nutum. iudicium facite.
- Leo Actor ero.
- Gain. Scilicet Eutropio Iudice? Domine, ad Caesarem appello nec alium agnosco Iudicem. ipse Eutropius reus est, ego actor.
- Abit.*
- Leo Insolens tumor!
- Aurel. Accede, aurem servavit tibi.
- Leo Ego, ubi reperiam Consulem?
- Aurel. Profectionem audio parare in castra.
- Leo Frustra parat. Gainae scelere Tribigildus triumphat. perdidimus omnia: et vos creditis, serio pacem peti?
- Aurel. Tenemus obsidem filium.
- Leo Tenete caute! fraudes ex fraudibus timeo.
- Abit.*
- Aurel. Excubant ubique moniti vigiles, ne qua evadat ex aula. sed ecce, quem cupis.

Scena quinta

Prioribus accedunt Eutropius et Lorinus

Eutr. Sic te reducem video, Leo, victum, inglorium, fugitivum, quem sperabam onustum praeda amplecti et palmis gravem!

Leo Aliena culpa hanc spem evertit.

Eutr. Scio, scio. sed meus favor hanc spem restituet. gaudeo adesse te- stem, qui de perfidia Gainam convincat. iter in crastinum distuli, hodie iudicium erit. sentiat post Gainam Tribigildus, quem lacessi- verit. iam praeco per urbem bellum sonuit, prurit in arma populus, lecta nos mox sequetur in castra pubes.

Lor. Tu meis te consiliis, Domine, pronum da. fugienda sunt castra; re- peto, securior in aula es. absentem inimici oppriment, praesentem timent. Eutropi, amicum audi. frigescere iam Caesarem sentis et aliquid de te suspicari; cum abieris, quid fiet?

Eutr. Gainae caedes mihi Caesarem, inimicis timorem reddet.

Leo Non tamen spernenda sunt, quae timet Lorinus. sed fac nos de Gai- na triumphum agere, quo te animo excipiet Gainae frater, sub cuius imperio exercitus agit? metuendum, ne aperte ad Tribigildum defi- ciat et pereant omnia.

Eutr. Nimis anxii estis. qui omnia metuit, nihil agit. agamus, quod suadet maior necessitas et praesens occasio; eventus relinquendus est fati- bus aut consiliis Superum, si qui sunt. nunquam immortalem se faciet, qui semper memor est, se esse mortalem. nunc de Gaina cogitan- dum, deinde de me. ardet supra modum vindictae cupido ferox. dum bibam sanguinem, non erit quies. Lorine, Senatum voca et singulos, quos vocas, mone, ut sciant agi de causa iam a Consule iudicata; proin unanimi voce Gainam damnent, ut solennius pereat. ita velle Eutropium.

Lor. Vt caeteri obediant, vereor, ne Aurelianus renuat et Saturninus.

Eutr. Si mihi non obedient, obedient sibi. Ario addictus Gainas est, ipsi Christo. illudam facile hominum pietati et causam in Religionis contemptum traham.

Lor. Abeo.

Eutr. Tu loquere fortiter, nostra sunt suffragia: Gainas periit.

Leo Vive.

Eutr. Sed Praesul intrat. odi virum: imus.

Clauditur.

Scena sexta

Chrysostomus, Nonus

Chrys. Sisto me. eritne autem ad postulatum placatior Caesar?

Nonus Opinor. turbae, quae aulam concitant, spondent pronum in omne consilium. atrox malum imminet, nisi Eutropius et Gainas sibi concilientur.

Chrys. Impius in impium saevit. hoc agit Deus in obstinatos: quod olim in inferno facient, iam faciunt modo; torquent se mutuo, severa Nemesis alterum alterius carnificem statuit.

Nonus Vtinam solo ipsorum damno! sed poena Caesarem ferit prope quam ipsos gravior. periit Asia, iactatur Europa, aula scinditur, totus Oriens tremit trium Procerum aemulatione concussus. hoc Arcadius meruit Catholicus Princeps et pius?

Chrys. Catholicus et pius, utinam utrumque generose et fortiter. hoc desiderem, hoc potentia exigit, quam concessit Principibus Deus; hoc Maiestas, qua fecit Superis pares. his praerogativis qui timide utitur in domandam licentiam scelerum, reus est omnium criminum, quae impedire non audet, cum posset, atque vel ideo etiam reus poenarum.

Nonus Quis prohibeat omnia?

Chrys. Prohiberi possunt plurima, possunt publica, possunt domestica. cur in aulam, cur ad officia admittit Arcadius viros, non dico ineptos, ignotos, nullius meriti, sed nonnunquam infames, saevos, rapaces, haereticos, Atheos? talibus se, sua consilia, provincias, pacis et belli negotia committit. bonos non audet audire vel certe auditis obsequi timet: et miraris, non esse felicem? ego saepe apud me de imperii sui calamitate querenti Caesari in faciem dixi: 'Auguste, tum felix eris, cum, quod ad portas Coeli affixit decretum Apostolus, hoc tu affixeris ad portas aulae: neque fornicarii neque adulteri neque molles neque masculorum concubitores neque fures neque avari neque maledici neque rapaces gratiam Caesaris possidebunt. Domine, quantis Episcopus laboribus, qua contentione, qua patientia debet agere, ut obtineat bonum, quod obtinere Princeps hilari risu posset? ut corrigat malum, quod corrigere Princeps severioris oculi ictu posset?' sed eamus ad Caesarem: forte vexatio dabit, ut tandem intelligat haec.

Chorus I.

Claudianus, Apollo, Chorus Musarum et Poëtarum

*Docetur, quam Artes Politicæ faciant exosum hominem apud Coævos.
Theatrum exhibet Antiquarium poeticum. Claudianus patitur enthusiasmum. Musæ dic-
tantes, Poëtae pingentes.*

Claud. Heu! Coeli terraeque pudor!
Trabeata vetula se per urbes iactitat,
Et anni titulum Eunuchus Consul effoeminat!
Age, Claudiane, et, si quid vales stylo ac carmine,
Ostende te hodie.
Fallor! an faventem proposito
Apollinem video?

Apoll. Invitat argumentum. nullis ego vatibus
Assisto libentius,
Quam qui vel laudant Numina
Vel reprehendunt scelera.

Aperitur.

Eia! ingredi Antiquarium
Et imaginem elige,
Quae tibi sit prototypon,
Secundum quod describas Eutropium
Et facias ectypon.

Claud. Musae! quae monstra obicitis?

Ch. Qualem nos effinximus,
Talis est Eutropius.
Sic describe hominem,
Talem habet speciem.

Ariose, Exhibitiones.

Mus. I. Vides hic Enceladum
Contemptorem Superum.
Mus. II. Symbolum saevitiae Minotaurum aspice!
Vtraque Talis est Eutropius.
Mus. I. Impius, sacrilegus.
Mus. II. Saevus, atrox, barbarus.
Vtraque Talis est Eutropius.
Mus. I. Summa illi Sacramenta
Poëtarum sunt figmenta;
Et, quae punit scelera,

- Nemesis est fabula.
- Mus. II. Quisquis se opponit, perit:
Cornu furit, clava ferit
Avidus pinguescere
Ex oppressi sanguine.
- Vtraque Talis est.
- Mus. III. Quantis equus *Dardanus*
Foetus est militibus,
Tantis est Eutropius
Semper foetus fraudibus.
- Mus. IV. Quanta est tricorpori
Vastitas *Geryoni*,
Tanta in Eutropio
Eminet ambitio.
- Vtraque Talis est.
- Mus. III. Gnarus artis architectus
Vix foecundum quatit pectus,
Cum, qua vis non pertigit,
Viam dolus aperit.
- Mus. IV. Vnus amat adorari,
Iudex, Consul, Dux vocari;
Vnus cogit spurium
Orbem sub imperium.
- Vtraque Talis est.
- Mus. V. Turpi avaritia
In Harpyiam abiit.
- Mus. VI. Sordidus luxuria
Vt Chimaera diffluit.
- Vtraque Talis est.
- Mus. VII. Mille *Hydrum* capitum
Fecit adulatio.
- Mus. VIII. Et trifaucem Cerberum
Mordax aemulatio.
- Mus. IX. *Sphingem* dant recondita
Et ad innocentium
Posita interitum
Pessima consilia.
- Omnes tres Talis est.
- Ch. Sic describe hominem,
Talem habet speciem.
- Claud. Cessate, Deae optimae!
Nondum, ut video,
Qualis sit Eutropius, intelligitis bene.

Nulla formavit ectypon,
Quod prototypo respondeat plene.
Monstrum est monstrorum teterrimum.

Apoll. Monstrum monstrorum teterrimum
Quid est, nisi monstrum ex omnibus monstris compositum?
Ergo agite!
Vnum in corpus monstra omnia componite.

Ex omnibus monstris fit unum.

Ch. Coniungimus, componimus!
Talis est Eutropius.
Sic describe hominem,
Talem habet speciem.

Claud. Sic est! ... talis est! ... quo me rapis, Vates Delie?
Pectus sentio plenum Numine.

Aria

Apoll. Age, age, iam cessa morari!
Acerbum te opus conari,
Commune poscit odium,
Quo ardent in Eutropium,
Qui alunt virtutis amorem in se.
Apollinem habes faventem
Et pio labori plaudentem:

Tradit telum et venenum Apollo.

Pro calamo do spiculum,
Pro atramento toxicum.
Sic decet in scelera scribere te.

Claud. Obedio.

Clauditur.

Timete, scelerati!
Vix ferit mitius sagitta Apollinis
Quam fulmen summi Numinis.

Aria

Non statim semper fulmina
Ad vindicanda scelera
De Coelo iaciuntur,
Sed linguae loco fulminum
In scelerum supplicium
Et calami stringuntur.

Nec levis est miseria,
Hanc poenam promereri
Et inter mala publica,
Vt pestis, recenseri.
Commune odium
Plerumque nuntium
Est odii Deorum
Et ultimum reorum
Est ad interitum.

Actus tertius Scena prima

Arcadius, Gainas, Leo, Nonus, Eutropius,
Saturninus, Aurelianus, Senatus

Aperitur Curia, et exhibetur consessus Senatorum.

Arcad. Agnosce Dominum, Gaina, et arma pone!

Gain. Adoro Caesarem!

Arcad. Agnosce Dominum, Leo, et arma pone!

Leo Adoro Caesarem!

Arcad. Quod imperamus, Nonus exponat, qui nobis est a Secretis.

Nonus Causam dicere Caesar imperat vobis. Gaina! accusaris de perfidia. Leo! ignaviae reus diceris. uterque proditi Tribigildo imperii accusatur. conceditur defensio. si quid parastis, dicite.

Leo Auguste, paucis, quae me absolvunt, dabo. tuis auspiciis, mandato Consulis uterque cum exercitu in Tribigildum profecti sumus ad Bosphorum Thraciae. cum iunctis viribus vindicanda esset Asia, Gainas tuendae Europae specie otiosus consedit; ego in provinciam transii. sensi continuo, me proditum esse. nam cum nihil de meo adventu hostibus, nisi per hunc innotuisse potuerit, tamen in praeparatas insidias incidi. misi sine mora, qui de periculo meo Gainam monerent. iuvare poterat: neglexit. ita circumventus exercitus periit, paucis mecum fuga elapsis. en crimen, en scelus meum. de quo arguor? num quod solus ingressus sim Asiam? in id, credo, missus eram, ut nobilissimae regionis incendia otiosus spectator intuerer? num, quod non feliciter dimicaverim, vitio vertitur? ab hoste deceptus, a socio proditus, quid poteram, nisi perire? vide, Gaina, quam haec te accusatio premat. nam quid neges? desidem te assedis? age, ubi fuit, ubi nunc est exercitus tuus? quem hostem vidit, nisi quocum tractasti proditoris consilium? quam urbem recepit? quem agrum a populatione defendit? quid obmutescis? hem! Iudices, iste Leoni ignaviam exprobrat? ubi quaeritis milites eius? adhuc in Bosphoro haerent et Thraciam devorant. saltem movisses te, frater, requisitus a fratre supremi discriminis aleam subeunte. nescisse te dices? adsunt testes, quotquot comites miserabilis fugae habui, quam celeriter, quam anxie tuam opem poposcerim. sed perire debui, Iudices, ut pudendae paci, quam machinatus est proditor, color qualiscunque necessitatis allini posset. o rem auditu foedam! pax rebelli promittitur, promissae pignus spondetur Romani Consulis caput. inferi te perdant, proditor, ita non modo perfidus, sed amens es! stultitiam hominis obstupescite! qui pacis conditionem

ferat, non mittit legatum, ipse venit; neque advertit miser, de suspecto cum Tribigildo commercio teneri se posse, si tam tetrae pacis suasor veniret. adeo furor et odium mentem everterunt. tenetur. vestrum iam est decernere, non, num damnandus sit, qui desidia et prodicionis convictus est, sed quam gravi poena damnandus sit, qui se Romanum Consulem in manus hostium tradere voluisse confiteatur et iactat.

Arcad. Gravis accusatio! quid dicitis, Patres?

Omn. Reus est Gainas! damnamus!

Eutr. Fiat iustitia, Caesar! audiatur et altera pars. si quid habet Gainas, quo se tueatur et me accuset, evomat rabiem, loqui liceat!

Arcad. Loqui licet.

Gain. Audiatur et altera pars! o sanctum Consulem! ... nisi in tua unius aequitate, Caesar, spei laetioris radius aliquis mihi micaret, frustra audirer apud eos, qui, ut audisti, incondito clamore iam necdum auditum damnarunt. ignosce, Caesar, si, priusquam pro me dicam, contra hos Iudices pauca loquar; loquar autem libere, quia innocens et miles et in causa Capitis. reus est Gainas, damnamus! uno ore clamabant. cuius ore, nisi Eutropii? video enim plerosque omnes Consuli obnoxios esse. quid enim? nonne *Te* ex Cerdone Senatorem fecit Eutropius? *Tibi* praeturam Syriae vendidit? *Tibi* opulentam litem contra propinquum adiudicavit? *Tibi* praefecturam Anatoliae, cum primum vacabit, promisit? *Te* carnificis gladio, cui debebaris, subduxit? *Tibi* constricto marsupio linguam devinxit? tristis verecundorum hominum admurmuratio facit, Caesar, ut credere possis, neminem istorum ab hac labe esse immunem. excipio et honoris causa nomino viros clarissimos Saturninum et Aurelianum. et hi Iudices mei sint? ... qui igitur latrones, si vos Iudices? nisi velitis Eutropii apparitores vocari, quibus sine novo examine licet occidere, quoscunque Iudex mortis reos edixit. reus est Gainas, damnamus! cur reus? de quo reus? vidi enim aliquos vestrum dormitasse, cum iste declamavit, et nescire adeo, quid dixerit. repetam ego, ut intelligatis nunc denique. reus est Gainas, de quo? de desidia, de prodicione, de turpissimae pacis consilio. nempe in Thracia haesi nec in Asiam transiens ad praelium Tribigildum adegì. utinam quidem, Leo, tu eiusdem mecum criminis reus fores, non tot fortium virorum cadavera in barbaris regionibus inhumata putrescerent! nempe hosti fortissimo et multitudine praevalenti legiones paucas obicerem et totius Europae salutem in unius praelii incertum eventum proicerem? sed quid mihi haec contentio est cum fungo heri nato! ita stupidus es, ut etiam carpas, credo, Fabium illum maximum, qui cunctando restituit rem. at cur opem non tuli periclitanti? certe prodidi deserendo. nempe post cladem venissem, quae prius facta est quam nuntiata. tu homo novus, cui egregius Consul heri primum gladium appendit ad latus, veterani Ducis consilio obtemperare debueras nec a latere tui tutelaris discedere. sed Leonis

nomen fecit audacem, credo. muta iam nomen: vicisses vel ceci-
disses in acie, si Leo fuisses; fugiendo probasti te leporem esse. sa-
tis tibi responsum est, puto. venio ad id, Caesar, quod gravissimum
ineptus homo obiecit: Consulem volui tradere. fatentem habes, Au-
guste, num ideo reum? ita, si pacem acceptassem, si Tribigildo me
adiunxissem, si Consulem te inscio, te invito per vim aut fraudem
abreptum in hostium potestatem dedissem. at inducias pepigi, obsi-
dem accepi, veni, pacis conditionem tibi, Domino meo, proposui;
ut admitteres, suasi. quid egi contra officium servi? iterum suadeo,
Caesar, Eutropium Tribigildo ut tradas. cur suadeam, quaeris: quia
tibi est utile, ipse meretur. Tribigildo, Caesar, pares non sumus.
perdidimus Asiam, Europa in periculo est: unius semi-viri scelere
peribis totus. oppressarum ab Eutropio provinciarum suprema su-
spira commoverunt Tribigildum, ut arma corripere, non quibus
Domino provincias raperet, sed quibus eas, quoniam aliud medium
nullum erat, a rapinis servi defenderet. trahatur ad poenas Eutro-
pius: arma ponet, Asiam Tribigildus restituet, et impii Consulis ca-
pite tota Rei publicae consulatur. quid potest honestius peti? quid
facilius dari? nimirum innocens et optime meritis petitur? ignota
tibi, Caesar, hominis nefarii flagitia sunt, nempe cui nemo est au-
sus narrare; aut qui narravit, fidem non meruit. ego tibi, si pateris,
hodie narrabo, meo periculo, Rei publicae bono.

Omn. Caesar, tacere iube.

Gain. Hem! amorem clientum! hem fidem! ut nutum observant! ut cavent
Patrono! felix es, Eutropi! qui fideles adeo servulos numeras!

Omn. Caesar, tacere iube! Gainas est reus! damnamus!

Eutr. Quiescite. Auguste, furiosi, quibus rationum inopia est, solent pu-
gnare convitiis. ego, si per te licet, una interrogatione hominem
perduellionis convincam.

Arcad. Age causam tuam.

Eutr. Gaina, quo obses aufugit? ubi Oranges? ... ut stupet miser?

Gain. Provide, si fugit, egit.

Eutr. Nempe tu nescis? ... Auguste, quid agatur, non vides? en! novum
scelus! quem tibi obsidis specie Orangem tulit, mutatis vestibus ad
Tribigildum remisit.

Arcad. Grave facinus!

Omn. Gainas est reus! damnamus!

Arcad. Oranges, ais, effugit?

Eutr. Fugit, aio; ne effugeret, curam habui. Lorinus cum servis missus
est, ut retrahat. in momenta expecto ... quin ecce, adest.

Scena secunda

Accedit Lorinus et Oranges

- Arcad. Solum video sine Orange?
- Lor. Caesar! ingens malum narro.
- Arcad. Assueto narras. dissimula nihil.
- Lor. Retractum ex fuga Orangem dum reveho, turmae civium in foro erant. visus circumstisor continuo; quem veham, interrogor. 'filium Tribigildi', respondeo animose, 'qui tentavit effugere.' 'ergo non erit pax', inquit illi? 'non erit', inquam, 'nec esse potest cum perduelli.' exarsit ad hanc vocem Oranges et, 'ne credite', clamat, 'ne credite, cives: Pater perduellis non est. non odit Arcadium; Eutropium odit, qui et vos ipsos odit. Eutropium tradite, erit pax.' interea, ut fit, plenum hominibus forum fuit, ad quos ille iam audacior, 'vivite, cives', ingeminat, 'pereat Tyrannus Consul!'
- Eutr. Vah! versipellem?
- Lor. Repetunt votum cives et impetu mihi Orangem eripiunt. ego inter convitia et lapidum iactus vix evasi incolumis.
- Arcad. Periisti, Gaina! hoc tuae saevitiae ingenium est.
- Omn. Gainas est reus! damnamus!
- Arcad. Aureliane, militem dispone in ordines, compesce tumultum et nobis provide. tu, Lorine, observa, quo se furor ulterius ferat.
- Eutr. Misenus etiam neglectae custodiae det poenas, Caesar!
- Lor. Ipsum ego, nisi oculi me fefellerunt, inter bacchantes vidi.
- Eutr. Novum argumentum. seditio est. det poenas caput!
- Omn. Gainas est reus! damnamus!
- Gain. Quem populus ad caedem postulat, reus est; damnetur. commune odium, Caesar, non cadit in innocentem. neque hodie natum putes; adultum est, sed quod prodire in publicum non est ausum, donec vidit, secure prodire se posse. hodie potest protectore Tribigildo.
- Arcad. Gaina! Eutropi! quo me redigitis?
- Eutr. Populum, Auguste, metuis?
- Arcad. Execror proditores. sic impero? Tribigildus invadit, Gainas deserit, Eutropius exosum subditis facit! quo vertar?
- Eutr. Hoc merui, Caesar, tot annorum fide, ut una vox seditiosae plebeculae ream innocentiam faciat?
- Oran. Caesar, vive!
- Gain. Salvus sum.
- Arcad. O proditor!
- Eutr. Perimatur!
- Oran. Reddo me tibi, Caesar, ut intelligas, non te peti, sed Consulem tuum. prodi ad concionem, querelas audi: scies non sine causa Eutropium ad necem peti. placavi tumultum, audiendos promisi. prodi!

- Eutr. Quasi diceret, 'in mortem abi'. iube, Caesar, ut pro te arma recipiat Leo; ibimus in rebelles!
- Gain. Gainae impera!
- Saturn. Nihil est hoc impetu opus: si quid suadere Saturninus potest, populo te monstra, Caesar! quid postulet, audi. non aliud, ut apparet, nisi liberas querelas petit et benevolas aures. aspectu Maiestatis erit sedatior et compositus verbo benigni Patris.
- Eutr. Male consulis. concitata plebs non est reverentiae memor; prematur metu.
- Arcad. Sile. non bene consulit servus Domino, qui consulit sibi. Tribigildus, Gainas, populus universus graves accusatores sunt: suspectus es, ne abusus sis mea gratia in subditorum perniciem. defensionem para.
- Aurel. Caesar! iam nec miles imperium audit. omnia tumultu fervent, Eutropius petitur.
- Gain. Respiravi.
- Arcad. Eutropius petitur etiam a milite? audiam, cur petatur. Eutropi malum imminet; Iudicem senties, si reum sensero.
- Gain. Timere tandem Gainam disces.
- Oran. Et Tribigildum.
- Eutr. Minas patior! amici, vos iam in hoc tumultu patronum iuvate consilio.

Senatores sensim subducunt se.

... Quid sibi silentium hoc? ... abitis? ... monstra! ingratae pecudes!
... et tu, Leo! ...

Scena tertia

Eutropius solus

- Eutr. Tam subito solus sum! ... vah! perfidos! et quis timor insolitus pavidum pectus quatit? ... quid futurum est? fieri posse credam, ut miser sim? ... hem ludibria! ... est ergo aliquis in Coelo Deus, qui haec infera curat? ... invisum Numen! ... huc ego adigor, ut tibi denique curvatis genibus poenas solvam? ... quo praeceps globum, fortuna, volvis? ... immotum credidi teneri posse, si hinc Principis favor, inde populi assistat timor. nihil opinantem uterque satellites fugit et nudum furori prostituit latus! ... populus, quem timuit, odit; et simulata reverentia in saevum contemptum abit! ... Princeps, quem amavit, aversatur repente! ... audivi tonitru irati Iovis: Eutropi, Iudicem senties, si reum sensero! ... quis fui? ... quis ero? ... Iu-

dex, Praetor, Dux, Consul, prope Imperator fui! ... vix Eutropius ero, nisi aut Coelites aut inferi iuvent. ... ad quos me vertam? ... Coelites contempsi! ... inferos derisi! ... desertus sum. vix innocens evadit discrimen, cum populus accusator admittitur. pro pudor! trepidat Romanus Consul ad populi nomen! ... ut gaudeo, quod solum me videam! sed horret animus opprobria, quae praesagit. theatrorum materia, aulae lusus, astrorum risus, mundi iocus Eutropius erit! sed meminisse haec olim oportuit, cum proderat; nunc, qua effugas, cogitandum. qua? ut me cum fortuna omne consilium deserit!

Scena quarta

Accedit Chrysostomus

Chrys. Eutropi!

Eutr. Vah!

Chrys. Solum te video? non amicus, non cliens, non servulus saltem stipatatus?

Eutr. Crudelis!

Chrys. Atqui ego, Domine, si admittis, manum porrigo, quae fluctuantem carinam in littus trahet.

Eutr. Nempe a Chrysostomo hoc speret Eutropius? aliud quaeris.

Chrys. Quid aliud?

Eutr. Videre supplicem, confitentem, deprecantem! dure!

Chrys. Non, ut exigam, quod tu debes, venio, sed ut agam, quod me decet. populi furentis aspectum ut fugias, moneo; templum offero, asyli locum.

Eutr. Saevum opprobrium! ut insultes misero, hoc te decet?

Chrys. Quin ducam etiam reluctantem.

Eutr. Non cessas?

Chrys. Succede, obsecro, amo te. nae, tu male de tuo Praesule sentis, si credis illudere. misereor.

Eutr. Quo me rapitis fata?

Chrys. Haec optimi Dei benignitas est: desertos ab homine, invitat ad se. a te contempta Ecclesia sinum aperit, quo te recipias.

Eutr. Huc adigor, ut optare debeam asylum in templo mihi!

Chrys. Abrogatam nunc tandem, credo, velles legem, quam tanto ambitu statuisti?

Eutr. Dixi, insultas misero: asylum non est.

Chrys. Dixi: asylum est.

- Eutr. Luctatur animus. despectas amplecti Aras ego ausim? populus feret? irrito acrius: irrumpent et victimam cives furori facient.
- Chrys. Irrumpent, me vivente, intuente? nihil metue. hoc pectus pro muro erit.
- Eutr. Velut si dulce somnium mulceret pectus, ita dubiae spei suavitas timorem temperat. quid? ego credidissem heri, fore, ut hodie ab omnibus deserto opem contempta Ecclesia, opem contemptus Praesul ferat? quid iuri sacro debuerim, nunc tandem disco.
- Chrys. Et discent ex te posteri, quam certa et gravi poena vindicet iuris sacri contemptum Deus.
- Eutr. Ex me discent.

Scena quinta

Accedit Lorinus

- Lor. Eutropi, ultimum a tuo Lorino obsequium cape. amice moneo, latebras ama, fuge!
- Eutr. Quo loco sunt meae res?
- Lor. Vt peiori esse non possint. Tribigildi timor, Gainae furor, tui odium ita populum efferavit, ut unus sit omnium clamor: tradatur Eutropius! pereat!
- Eutr. Et quid Caesar?
- Lor. Selectos ex civibus decem iussit ad se venire et auditurum querelas promisit atque ultimis poenis ulturum, si intellexerit dignas.
- Eutr. Interii!
- Lor. Iamque itum est ad iudicium, nisi verius ad supplicium dicam. dilapsi milites portas custodiunt alii, ne qua evadas; alii diripiunt aedes, deiciunt statuas, trophoea frangunt. cives scrutantur angulos in praedam avidi. nihil pacatum est. fuge et vale.
- Abit.*
- Eutr. Ergo cur non fulminat vindex Numen orbi exosum caput?
- Chrys. Vt inclines poenae clementis Patris superbum caput.
- Eutr. Pudor, timor, desperatio, Pater, nihil iam sanum cogitare me sinunt.
- Chrys. Pudor bonus, timor bonus, bona desperatio est, quae ad Deum compellit. in templum fuge!
- Eutr. Ah! in templum! maledicte sol, qui hunc funestis radiis illustras diem, aeternis tenebris dignum!
- Chrys. Nihil istae querelae iuvant. in templum fuge.
- Eutr. Nempe futurus spectaculum?
- Chrys. Iucundum Deo, hominibus salutare!

Eutr. Aperiat se vorago Stygis! abscondar melius. templum, quod semper spreui, nunc, credo, solatium feret?

Chrys. Asylum feret.

Eutr. Asylum triste!

Chrys. Perire mavis?

Eutr. Dura necessitas!

Chrys. Veni.

Saltus.

Actus quartus Scena prima

Oranges, Misenus, Milites, Cives

Aream templi exhibet Theatrum.

- Oran. Necdum repertum est probrum?
Mil. I. Omnia scrutati sumus. latet.
Oran. Ah! si evaserit!
Misen. Huc miles! huc civis adsit! Oranges! in templo latere, qui vidit fugientem, me docuit.
Oran. Irruite! me sequimini!
Civ. II. Irrumpere in sacram aedem non licet, Domine?
Misen. Quid? Timasii coniugem per armatos ex templo exturbavit Eutropius, rapi ipse non potest?
Oran. Invadite.
Civ. III. Petendus est a Patriarcha.
Misen. De lata lege non scitis?
Civ. IV. Legem impiam esse Praesul docuit.
Oran. Damnatus ad mortem Eutropius est: implenda iussa Caesaris.
Civ. V. Sine iniuria Dei.
Oran. Video, iam frigit furor. sed hoc scitote: aut Consulem dabitis, aut nulla est pax.
Civ. VI. Quid nos turbas? tradetur, peribit!
Omn. Tradetur, peribit!
Civ. VII. In stationes succedamus nec hinc abibimus, donec se ipse tradiderit.
Misen. Aut scilicet occultis modis evaserit.
Omn. Non evadet: peribit.
Oran. Sed hem! templum se aperit. adest scelestus!
Omn. Non evadet: peribit.
Misen. Furem, latronem, parricidam patriae nobis trade, Praesul!
Omn. Furem, latronem, parricidam patriae nobis trade, Praesul! damnatus est: pereat!

Scena secunda

Accedit Chrysostomus et Eutropius

Chrys. Temperate furorem, cives!

Omn. Furem, latronem, parricidam patriae nobis trade, Praesul. damnatus est: pereat!

Chrys. Silentium date! nam ego vos interrogo, num homines sitis? homines hominem videtis ex summae felicitatis culmine in abyssum extremae miseriae repente praecipitem. meministis, ut ingressus sit heri turba clientum stipatus, famulantum obsequiis cultus, praelatis fascibus et securibus formidabilis! hodie, ubi est ille consulatus splendor? ubi coronae et aulae? ubi applausus et theatra? ubi fucati amici, parasiti et turba coquorum? ubi auri et argenti accumulata congeries? ubi arcus et statuae? ubi palatia et horti? ecce, vehemens turbo momento decussit haec folia, ut vix nudum truncum quassata radix sustentet, iam et ipsa vacillans. quanto esses felicior, o miser Eutropi, si prius haec fieri posse cogitasses, quam fierent! ego te quoties, ut cogitares, ut metueres, admonui? reiecasti cum stomacho; cantus mollis prae duro placuit, adulatio prae veritate. hem! vanitas vanitatum! adeste huc pauperes et gratias paupertati habete, quae vos ab his casibus immunes facit! adeste divites et fastum ponite, quo supra inflatos utres turgetis! ille, qui heri orbem suae fortunae terrore concussit, videte, ut hodie buxo pallidior, timoris vi velut catena fortissima alligatus est sacris Altaribus! triste silentium, oculi inquieti, titubans caput, collisi dentes, collabentia membra satis loquuntur, quid patiatur animus, exacutos gladios et carnificis rabiem in momenta exspectans. quid vero? num insultans haec loquor? imo commiserans et commiserationem exspectans. iniurias vobis fecit? fatetur, deprecatur; deplorat. necem est meritus? necem ego deprecor. cui? furi, latroni, parricidae patriae? Eutropio Consuli. satis miser est, cives, qui ex felice fit miser. quid ei vitam miseram invidetis? homines in hominem humani este. quod sceleratus abdiderit se in Ecclesiam, quod ab Ecclesia propugnetur, qui toties oppugnavit Ecclesiam, indigne hoc fertis? laudo zelum, Religionis fervorem probo. vos Dei iustitiam adorete, qui in eam necessitatem coniecit Eutropium, ex qua Ecclesiae et potentiam disceret et clementiam. potentiam agnosce, Eutropi; nam quia contempsisti Ecclesiam, contempsit te Deus et exposuit te totius orbis contemptui. clementiam vos commendate, videntes, quod Ecclesia iniuriarum oblita velut obtento scuto miserum tueatur et ab ira Imperatoris defendat. nunquam hoc Altare fulsit illustrius, quam cum ad eius pedem Leo vinctus prosternitur, qui eversurus accesserat. hoc trophoeum potentiae Ethnici stupent, agnoscunt Iudaei, venerantur

haeretici; hoc exemplum clementiae imitentur Christiani. desinite, cives mei, desinite saevos clamores! sinatur vivere Eutropius! donetur Ecclesiae! ... placet silentium. confide, Eutropi; vives, ut possis errata corrigere. agite, ad Caesarem sequimini me: vitae gratiam captivo oramus. ita homines, ita Christiani, ita filii Ecclesiae sumus.

Civ. I. Praei, Pater! ad Caesarem imus.

Omn. Praei, Pater! ad Caesarem imus.

Chrys. Miles ad fores subsiste, ne fraus aut vis pios conatus eludat ...

Scena tertia

Manent Oranges et Misenus

Misen. Quid stupes, Oranges?

Oran. Possumne meis oculis, meis auribus credere? ita subito ultimus impotentis populi furor detumuit? Episcopus hoc unus et solus possit?

Misen. Nempe quem commendat opinio sanctitatis. nondum tu Chrysostomum nosti. summa viri aestimatio est, summa facundia, summa sapientia, summa virtus atque, quae ex his gignitur, summa auctoritas. nondum integer annus abiit, quo sedem Constantinopoli Episcopus tenet; audi iam, quanta praestiterit. primum Montanistas ex omnibus imperii urbibus lata lege, quam ab Arcadio impetrarat, eiecit; deinde gravissima Episcoporum cum Pontifice Romano dissidia composuit. tum Cleri mores correxit prohibito virginum, quas Agapetas et sorores adoptivas vocabant, cum illis commercio et sublatis victus lautitiis. praeterea damnato Luxu Nectarii, qui ante ipsum rexit Ecclesiam, sustulit inutiles sumptus et in aedificanda nova Xenodochia expendit; tum in defensionem pupillorum ac viduarum incubuit contra potentum iniurias, quorum etiam fastum, profusas expensas, morum licentiam peccandique notam audaciam obiurgare non cessat.

Oran. Et impune?

Misen. Habet inimicos multos ac magnos, quos inter primum istum Eutropium numeraveris, cuius saluti modo tam avide se impendit. sed, quid agatur, si vel orbis universus in ipsum insurgat? vir est, qui nihil timet, praeter peccatum. Episcopatum non desideravit accipere, non desiderat diutius tenere. si deturbetur, redibit in solitudinem gaudens. dum sinitur, pastoris officium aget intrepide. haec sunt, quibus auctoritas viro stat, et ea causa est, quod monueram Gai-
nam, ut laboraret Chrysostomum sternere. eo stante fore, ut nostri

Arii doctrina floreat aut templum nobis vel unum in urbe struatur, sperari non potest.

Oran. Sterni et ipse potest, uti potuit Eutropius.

Misen. Falleris. Chrysostomus populo in amoribus est, Eutropius in odio fuit: grande discrimen habes. quanquam quid, si et Eutropius a casu resurgat? populum mutatum vides.

Oran. Milites erunt iidem, quamdiu Gainas cum ipsis est. age tamen, accedimus ipsum, ut, quid sit actum, cognoscat. sed ipse prodit.

Scena quarta

Accedit Gainas

Gain. Oranges! in idem recidimus chaos: placatus est miles Eutropio, placatus populus.

Oran. Vah! miles etiam?

Gain. Arcadii reverentia, qui populi a Praesule adducti precibus gaudens, vitam donabit Eutropio. ita existimo. quid? etiam nos donabimus vitam?

Misen. Nisi nos novis periculis velimus exponere.

Oran. Hic latet. custodibus in fugam actis conficimus hominem.

Gain. Consilium temerarium est. quid intus agit?

Oran. Pavens expectat sententiam.

Misen. Vos non pavetis? nondum absolutus iudicio es, Gaina. quiete redita populo, si rursus ceteris, quid fiet?

Gain. Vanus metus est. nam irritare Tribigildum nova audacia non audebit Arcadius. Eutropium deposuisse contentus, mittet me potius ad pacem firmandam, cuius te obsidem habet.

Oran. Sed pacem vix faciet Pater, nisi ducas Eutropium tecum. scis, illum peti. sic ego diu captivus ero. et si interea nova ab Honorio auxilia, ut rumor est, contra Patrem advenerint, si praelio, ut varia fortuna est, Pater succumberet, quid filio fieret?

Gain. Multa prospicis. itaque si hoc agimus, ut hodie Eutropius pereat penitus, tum credo, prospectum satis.

Misen. Sed arduum est facinus.

Gain. Tribigildum metuit populus; hic metus iuvat, hic securam omnem audaciam facit. invigilo occasione.

Scena quinta

Accedunt Aurelianus, Saturninus, Chrysostomus, Eutropius

Aurel. Gaius, te Caesar petit avidus loqui.

Gain. Vtinam, quod Tribigildus velit, loquatur! eamus!

Oran. Non ita facile, ut creditis, inimico placatur Pater. sanguinem sitit.

Chrys. Lachrymae si propinentur, contentus erit.

Saturn. Vel si tigris foret.

Misen. Docebit exitus.

Abeunt.

Chrys. Eutropi, gratiam vitae Caesar iuramento fecit. securus prodi.

Saturn. In poenam exilii mutabitur mortis sententia. animum compara, qui decet virum.

Aurel. In praetorio pones purpuram et locum audies, ubi reliqua ducenda est vita.

Eutr. Ergo extremum visa est haec Ara mihi! ... o tristis abitus! ... occultus saltem ex urbe ibo? nam ut ferre possim supremum dedecus et, quos solebam lictores sequi, videre comites?

Chrys. Quod ferre necesse est, ferendum moderate. tandem sit cura animae: aliud, quod perdas, nihil superest. opes, voluptas, gloria, honor, fama iam periit: animam serva. vixisti hactenus, quasi totus moriturus; nunc vive tandem, tanquam qui animam habeas, quae victura est semper, et corpus, quod ad vitam resurget.

Saturn. Scilicet haec cogitare felicibus non lubet, infelicibus non vacat. utrisque cogitanda sunt tamen; illis, ne inebrientur dulcedine bonorum praesentium, his ne mergantur in amaritie malorum.

Aurel. Lectio Eutropiis nova nec facilis intellectu.

Chrys. Certe. et quis praesentium avidus de futuris sit anxius? absorbetur memoria. fatere de te. nonne si subibat cogitatio haec vel similis: Eutropi, quamdiu haec felicitas erit et quid deinde? excussisti pro importuna, id existimans, quae de futuris narrantur, aut incerta esse aut saltem remota? certa nunc saltem crede, propinqua fortassis senties.

Eutr. Quid me ista solari possunt, quae non capio? reddite Caesaris gratiam et bona perdita: haec iactura afficit, hanc intelligo.

Saturn. Praesul, animal loquitur. quid disputare iuvat? in praetorium eundem est.

Eutr. Heu! oculos subeam irati Principis!

Aurel. Si unquam, hodie certe te semi-virum probas. foemineos quaestus mitte; aut si plangere iuvat, culpam, non poenam plange. nihil supra meritum pateris.

Eutr. Suspiria prohibes? quod est levius solatium misero?

Aurel. Suspiria prohibeo impatientis animi, non poenitentis. miles, in praetorium trahe.

Abeunt.

Eutr. Festina, optata nox! involve tenebris infelix caput!

Chrys. Sic omnis ferocia in lachrymas abiit. en, Saturnine: haec impiorum est fortitudo: multa mala agere, nulla pati.

Saturn. Haec est. sequamur, Praesul, et ultimum spectemus tragoediae actum.

Chrys. Opto, ut intelligat denique choragum Deum.

Chorus II.

Apollo, Claudianus, Aeternitas, Chorus Saeculorum

*Docet, quam Artes Politicae faciant hominem exosum apud posteros.
Theatrum exhibet aulam Aeternitatis. saecula praeterita circumstant ut statuae. futura
exeunt cum ipsa per portam magnificam. Claudianus libros suos in Eutropium dedicat
Aeternitati.*

Apoll. Approbo opus egregium.

Claud. Tuum beneficium.

Apoll. Repeto:

Dedicetur Aeternitati, *ita censeo.*

Iamque stamus in atrio.

Sciant futura saecula,

Quale tulerint monstrum praesentia tempora.

Claud. Sciant et horreant scelera,

Quorum hic legent supplicia.

Quanquam quid licet sperare?

Video antiqua exempla,

Quae saecula dederunt praeterita.

Multi ante me scripserunt;

Post me, qui scribent, plures erunt.

Nec tamen stylus curiae mutabitur,

Nec mundus emendabitur.

Apoll. Non ideo frustra scribitur.

Saltem perpetua

Sceleribus haeret infamia,

Cuius pudore si mali non emendantur,

Boni tamen conservantur.

Aria

Sint Scythas inter barbaros,

Qui vestros olim calamos

Ridebunt.

Qui boni erunt animi,

Quid *seri dicant posteris,*

Timebunt.

Cessate scribere:

Iam timor secuturae

Sublatus est infamiae;

Et nunquam desiturae

Corrupta stirps propaginis,

Amota falce, impiis

Luxuriabit undique
Eutropiis.

Claud. Haec saltem spes
Nostros solatur labores.

Apoll. Sed prodit Regina. ...

Prodit Aeternitas cum pompa. fit plausus.

Aetern. Quid me postulas, Phoebe,
Deorum humanissime?

Apoll. Dea suavissima, patere,
Vt tibi dedicem opus hoc mei Poëtae!
Dignum est, quod immortalī cedro inscribatur
Et custodiendum futuris saeculis committatur.

Aetern. Quod est operis argumentum?

Claud. Monstrum turpissimum.
Vir, non vir, servus et liber,
Dives et pauper, felix et miser,
Semper alius
Et semper idem Eutropius. ... meretur,
Vt ipsum Aeternitas excretur.

Aria

- I. Qui sua per facinora
Haec funestare tempora
Et suavem placidorum
Quietem populorum
Est ausus perturbare,
Vt ipse post mortem in pace quiescat
Et placide sui securus putrescat,
Non decet tolerare.
- II. Si scelerum memoria
Ad Tartara cum anima
Eodem casu rueret,
Quis bonos, quis subtraheret
Furori Tyrannorum?
Qui mortuos lacerant *calami* dentes,
In ipsum cadaver post mortem furentes
Sunt terror successorum.

Aetern. Vah! quid lego? ...

Aria

Nefanda artificia!
Assurgere per scelera
Et fundamentum ponere

Ruinam honestatis!
 Vos prohibete, Coelites,
 Ne fraudum hi artifices
 Magistri forte posterae
 Sint etiam aetatis.

Apoll. Vt hoc malum impediatur,
 Omni aetate Claudianus legatur!

Aetern. Legatur!

Tradit librum saeculis.

Eutropios aulae horreant
 Castra caveant,
 Vrbes expaveant!

Claud. Et sit hoc primum documentum, hoc praecipuum,
 Hoc frequentissimum,
 Quod matres parvulis
 Inculcent filiis.

Fili, si gratus Coelitibus,
 Si charus hominibus,
 Si felix esse vis,
 Cave, ne Eutropius sis.

Apoll. Quod si quis tamen eius facta imitetur,
 Iisdem cum ipso suppliciis mactetur
 Et pariter perpetua laboret infamia.

Chorus

Praecinit Claudianus.

Lingua, stylo laccessatur!
 Maledictis configatur!
 Laceretur satyris!
 Ab amicis deseratur,
 Ad tribunal rapiatur,
 Tremat in iudiciis!
 Nemo sit, qui deprecetur,
 Nemo, qui patrocinetur,
 Nemo, quem misereat;
 Nulla poena remittatur:
 Accusetur, convincatur,
 Condemnetur, pereat!

Actus quintus Scena prima

Gainas, Nonus, Oranges, Misenus

- Gain. Age, audire iuvat latae sententiae formam.
- Nonus Legam ex tabulis: 'Arcadius et Honorius Augusti Aureliano Praefecto Praetorii. omnes res Eutropii, qui quondam Praepositus sacri cubiculi fuit, aerarii nostri calculis adiunximus, erepto splendore eius et consulatu a tetra illuvie et commemoratione nominis eius et coenosis sordibus vindicato, ut eiusdem universis actibus antiquatis omnia mutescant tempora, ne eius enumeratione saeculi nostri labe appareat nec ingemiscant aut, qui sua virtute ac vulneribus Romanos fines propagant, aut qui eosdem servandi iuris aequitate custodiunt, quod divinum proemium consulatus, lutulentum prodigium contagione foedavit. patritiatu etiam dignitate atque omnibus inferioribus spoliatum se esse cognoscat, quos morum polluit saevitate. omnes statuas, omnia simulacra tam ex aere quam ex marmore, seu ex fuis quam ex quacunque materia, quae apta est effingendis, ab omnibus civitatibus, oppidis locisque privatis ac publicis praecipimus aboleri, ne tanquam nota nostri saeculi obtutus polluat intuentium. adhibitis itaque fidis custodibus, ad Cyprum insulam perducatur, ut ibidem pervigili cura vallatus, nequeat suarum cogitationum rabie cuncta miscere. datum 16. Calendas Februarii Constantinopoli, Theodoro Manlio Consule.'
- Oran. Bene habet. et quando abibit?
- Nonus Parata stat navis. pudori ut consuleret expuncti Consulis Caesar, iussit, ut, dum praeco latam sententiam frequenti populo nuntiat, ipse eodem tempore ignota sub veste latens per vicus spectantibus vacuos ducatur ad mare.
- Misen. Nobis pasti et expediti stant equi, ut, quamprimum abierit, ad Tribigildum avolemus, relaturo optatam pacem.
- Nonus Ita vos Caesar amet.
- Gain. Ita promisimus.
- Nonus Ego mandata exequor tristibus annalibus digna.
- Gain. Qui custodes addentur?
- Nonus Praemissi iam ipsi etiam servant littus. solus per urbem perget, ut observetur minus.
- Oran. Vis dicere, ut effugiat certius. Gaina, fallimur! an haec enim non ficta sunt omnia, ut Pater meus decipiatur?
- Nonus Nihil haec metue, Princeps: ne qua ei porta ad fugam tuta sit, cautum est satis.

- Gain. Vade. ego, Oranges, cavebo tibi. tempus, locus, occasio ad caedem favent. tu te ex aula proripe cum Miseno et decorum inimici cruore Gainam exspecta brevi. ad pacem, deposito Consule, a Tribigildo repetendam legatos nemo remorabitur. exhibimus securi.
- Oran. Belle. imus.
- Misen. Et tu denique audacius laborabis pro Ario.
- Gain. Tum denique. exulta mucro! sanguinem cupitum bibes.

Scena secunda

Arcadius, Chrysostomus

- Arcad. Sic me miserum mei faciunt. Tribigildo obedire cogor, Eutropium odisse, Gainam timere; et Princeps sum! si vivo, pares cum Eunuchio mihi poenas uterque dabit. nunc Tribigildum punire non possum, Gainam non audeo; et Princeps sum! haec mihi dies oculos aperit. ut ego caecus fui, qui his hominibus omnem poene potestatem concedidi! quo mei honoris, quo totius imperii damno, nunc primum video, postquam occultus morbus in apertam pestem erupit. Superi! ignota Arcadio Eutropii esse scelera potuerunt tam diu? quae scivit imperium, potuit Imperator nescire?
- Chrys. Potuit, quia audire querelas noluit gementium subditorum. da veniam, Caesar, libere arguenti, in quo te ipse agnoscis errasse. Eutropium tua credulitas improbum fecit. videbat, se tibi placere, sibi confidi omnia, sibi credi nec esse aliquem, cui sit ratio reddenda actorum; probare te omnia. miraris iam, tanta fuisse ausum? ... poterat securus audere; hoc errasti.
- Arcad. Curarum onus igitur totum unus et solus feram? nec transferam in alienos humeros partem saltem?
- Chrys. Imo maximam. sed id curandum, ut, qui subeunt oneri, intelligant, onus se tibi ferre, non sibi; ac viri sint, qui ferendo sint pares et robore et voluntate. itaque quos posthac Ministros leges, tibi que fideles et imperio utiles cupies, tribus ut dotibus ornati sint cura, Religione, prudentia et iustitiae laude. cui nulla Religio est, nullus est horror scelerum, quaecunque possunt occulta esse. qui prudentia caret, impetu agit, quod suadet affectus, non quod imperat ratio. quem non commendat iustitia, odit populus, qui iugum patienter non tolerat, nisi suave faciat amor.
- Arcad. Scimus haec axiomata. sed quis mihi singulorum corda aperiat et in fodinis tam abditis aurum spurium discernat a vero? hypocrisis Religionem mentitur, astutia prudentiam, avaritia iustitiam simulat. decipimur.

- Chrys. Non una dies detegit fraudes. itaque donec, quid lateat, scias, festina lente nec hominem promove. nihil sanguis, nihil opes, nihil patroni te moveant; an Religionis sit cultor, an studiosus prudentiae, an iustitiae amans, hoc interroga, hoc aestima, si vis beatus regnare. sermo audax et petulans de summis Mysteriis contemptum Religionis prodit; consilia, quae placent tantum et prosunt nihil, arguunt defectum prudentiae; amor pecuniae odium iustitiae parit. quem tale aliquod stigma notat, cavendum puta.
- Arcad. Nunc quem ponam in Eutropii locum?
- Chrys. Aurelianum et Saturninum habes, probatos viros, quibus utinam paruisses pridem.
- Arcad. Vtrumque Gainas odit, uterque Gainam: novas turbas prospicio.
- Chrys. In turbis tenebunt clavum. aut quid? regendam navem Gainae trades?
- Arcad. Id est, quod expetit. hominis audaciam stupesce, Praesul! mihi cum Tribigildo colludere iam non est dubium, sed modus vindicandi non est. hac spe inflatus, cum stratum nocentem vidit, involvere eadem strage innoxios cupit. Aurelianum et Saturninum exulare cum Eutropio, ut iubeam, suasit, si vellem pacem habere integram.
- Chrys. Pro! temerarium!
- Arcad. Ego iram pressi et linguam momordi fremens. tum ille silentio animosior, 'ego vero', inquit, 'Caesar, pro labore compositae pacis hanc unam gratiam peto, ut sectatoribus Arii Constantinopoli templum concedas.'
- Chrys. Vah audaciam! ego vero, Caesar, ut id permittas, nunquam patiar. violatum templi honorem Eutropii casus restituit; hic terrere Gainam debuit, non irritare, nisi iam ipsum etiam graviore supplicio divina Nemesis destinavit. daturum promisisti, Auguste?
- Arcad. Deliberaturum respondi. nec enim negare tutum fuit: vir potens est, ferox et armatus. ita Imperator sum! o pudor!
- Chrys. Nihil time, Princeps, nisi timorem tuum: tum Imperator eris.

Scena ultima

Accedunt Aurelianus, Saturninus, Eutropius

- Aurel. Vive, Princeps! et ultimo obtutu dignare Eutropium. pridem hic habitus Eunuchum decuit! tandem fortuna iocata est satis et ridiculum Consulem abire theatro iubet.
- Arcad. Sic places, Eutropi. age iam, ubi sunt artes tuae, quibus toties illuisti Arcadio? non praevidit hunc casum astutia tua? credidisti, vi-

duarum et pupillorum clamorem, tot subditorum, quos oppressisti, lamenta non denique penetratura nubes et eruptura in fulmen?

Saturn. Scilicet putavit miser, non dari Numen, quod oculos habeat, ut videat scelera, aut manus, ut puniat.

Arcad. Exemplum te debuit Rufini terrere. plus, quam decebat subdito, elatum tu non tulisti, tu stravisti. quod damnasti ipse, cur es imitatus? sic te omnis prudentia destituit, ut non videres, fieri non posse, ut magna scelera lateant diu? ego gratias Coelo refero, quod me amat, cum liberat a servitute, quam turpem nequissimo servo servi. nunc respiro, tot vinculis liber, quot fraudibus tenuisti devinctum. Superi! quantum toti Orienti unius hominis ambitio et avaritia nocuit! tu documentum posteris eris, ut discant Reges, a quibus Ministris sibi et suis cavendum sit.

Eutr. Auguste, tandem abire iube. plus omni poena tuus aspectus cruciat.

Arcad. Me tuus delectat. quanquam i, purga regnum, pestis, nec ultra venenato halitu hunc aërem infice!

Aurel. I et omne malum tecum trans mare avehe!

Saturn. I et, quam sceleribus foedasti, lucem fuge!

Chrys. I et desertus ab hominibus te tandem ad Deum verte!

Abeunt. Eutropius cum gravi suspirio mutus et ipse abit.

<Finis>

Hinweise zur Textgestaltung

Zugrunde liegt die Ausgabe von 1760 mit dem Titel-Zusatz „DATA LVDIS AVTVMNALIBVS ANNO MDCCXXXII“. Das Mannheimer Exemplar ist über das MATEO-Projekt der dortigen Universität im Internet einsehbar (www.uni-mannheim.de/mateo/camena/neum1/te02.html); die htm-Fassung wurde für diese Ausgabe benutzt.

Die orthographischen Eigenheiten des Originals wurden nach Möglichkeit beachtet. Orthographie und Interpunktion wurden jedoch überarbeitet und vereinheitlicht. So wurde stets gedruckt *i* für *j*, *v* für konsonantisches *u*, *u/V* für vokalisches *u/U* sowie *Coel-* statt *Cael-*, *proemium* statt *praemium*. An Einzelstellen zusätzlich groß geschrieben wurde: *Ara*, *Artes Politicae*, *Coel-*, *Consul-*, *Iudex/-cis*, *Maiestas*, *Ministris*, *Pater/-tris*, *Praefecto Praetorii*, *Proceres*, *Religi-*, *Stygis*, *Tartara*, *Tyranni*; klein dagegen: *actor*, *auctor*, *aula*, *caput/-tum*, *casus*, *chaos*, *cives*, *civitatibus*, *cliens*, *familiaris*, *imperium*, *legatum*, *matres*, *miser*, *patriae*, *posteril/-os*, *praeco*, *proditor*, *pudor*, *pupe*, *trifaucem*, *victor*.

Im Darstellerverzeichnis wurden die des Prologs und der beiden Chöre ergänzt. Gestrichen wurde jeweils *Personae* zur Einleitung der Darstellernennung vor den Szenen sowie bei *Chrysostomus* Prol. *S.*, 1,1 und 2 *S. Ioannes*, bei *Nonus* 1,2 *Secretarius*. Die Nennung der Darsteller wurde geordnet, so 1,3 statt *ACh*, 1,4 *ACh* ... *SAu* mit Ergänzung *Nonus*, 2,1 *GMO*, 2,3 *GOM*, 3,1 *AGE* *LSAuNSen*, 4,5 *ChAuSE*, 5,1 *GOMN*, 5,3 *EaUS*. Zusätzlich als Anmerkungen gegebene Regieanweisungen wurden im Text gedruckt.

1,1	<i>virtutis praescripto</i> statt <i>virtutit</i> ...	
1,1	<i>virtus docuit</i> statt <i>virtus docuis</i>	CAMENA
1,3	<i>ite amici obviam</i> ohne Interpunktion belassen und damit nicht als Vokativ markiert	
3,1	<i>seditiosae</i> statt <i>seditosae</i>	CAMENA
3,1	<i>aufugit</i> statt <i>au fugit</i>	
3,2	<i>contemptum</i> statt <i>comtemptum</i>	CAMENA
5,1	<i>Cyprum</i> statt <i>Cyprnm</i>	CAMENA

2,2, 2,6, 3,2, 5,1 wurden 'Anführungszeichen' gesetzt. Unnötige 'Kommata' vor *et*, *atque* usw. wurden gestrichen, unpassende 'Doppelpunkte' ersetzt, 'Gedankenstriche' statt 'Klammern' und '...' statt '.' verwendet. Auf eine detaillierte Dokumentation aller Eingriffe in die Interpunktion sei hier jedoch verzichtet.